



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

66. Philippus cognomento Nobilis, Marchio & Comes Namurcensis, numerum Canoniatuum seu praebendarum, in Namurcensi S. Albani ecclesia, auget, an. 1211.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

NOTATIO.

DIEST) Distemium Brabantiae opidum ad Demeram, hodie ad gentem Nassauiam pertinet, cum Castellania Antuerpiensi. Distemienses namque domini à multis retrò sæculis fuerunt Castellani Antuerpienses.

CAPVT LXVI.

Philippus cognomento Nobilis, Marchio & Comes Namurcensis, numerum Canoniatuum seu prabendarum, in Namurcensi S. Albani ecclesia, auget, an. 1211.

PHILIPPVS Marchio Namucensis vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quàm futuris in perpetuum.

Nouerit vniuersitatis vestrae discretio, quòd cum ecclesiam in Namuco S. Albani Christi martyris pretiosi inuenissem aliquantulum desertam, & quasi vacuum, sincera dilectione eam amplectens, cum bona deuotione in quàm pluribus eam restruxi, tam in altaribus quàm nouoque presbyterio, tam campanis quàm campanarijs, ac Dormitorio, pluribusque alijs ipsi ecclesiae competentibus & necessarijs, gloriosisque Sanctorum reliquijs & pretiosis ornamentis honorau;

Assensuque domini HVGONIS Leodiensis Episcopi, à viris venerabilibus, domino STEPHANO scilicet Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliae Primate, & à domino BERTRANNO Metensi Episcopo, Dominica qua cantatur, Quasi modò geniti, anno gratiae 1208. millesimo ducentesimo octauo, feci consecrari, & numerum Canoniorum eiusdem ecclesiae, qui erat septemdecim, auxi tribus præbendis de proprijs bonis meis, & refeci numerum plenum viginti Canoniorum.

Hec quidem non ex iactantia vel arrogancia refero, sed vt perpetuè, ad conseruationem honorum & dignitatis ecclesiae, tradantur memoriae scripto presente & sigillo meo, cum sigillo S. Albani, confirmata sunt. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo vndecimo.

CAPVT